



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres**

**Schevichavius, Gisbertus**

**Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.**

Cap. XXVII. Ambitio Clericorum insidiatrix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42349**

Pf. 90. Qui habitat: Ambitio, inquit, subtilo malum, secretū  
virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens,  
vitiū origo, criminum fomes, virtutū erugo, tinea sanctita-  
tis, excœcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex  
medicina languorem. Sanctus Leo distinctione 47. can.  
7. Virum catholicum & præcipue Domini Sacerdotem, sicut  
nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari, di-  
cente sacra Scriptura Ecclesiast. 18. v. 30. Post concupiscentias  
tuas non eas. Mens enim potentia auida nec abstinere nouit à ve-  
titis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. De-  
niq, qui se exaltat humiliabitur Matth. 23. ver. 12. Luc. 14. v.  
11. & cap. 18. v. 14. & quod hominibus altum est, abominatio  
est ante Deum. Luca. 16. v. 15. Sanctus Chrysostomus homilia  
35. in Matth. operis imperfecti, & habetur distinct. 40. c. 13.  
Multi Sacerdotes. Quicumq, desiderauerit primum in terra,  
inueniet confusionem in celo, nec inter seruos Dei computabi-  
tur, qui de primatu tractauerit: nec vnusquisq, eorum festinet,  
quomodo alius maior appareat, sed quomodo omnibus inferior  
videatur: quoniam non qui fuerit maior in honore inter  
homines, ille est iustior: sed qui fuerit iustior,  
ille maior.

## C A P. XXVII.

*A M B I T I O C L E R I C O R V M*  
*insidiatrix.*

§. **A**mbitio omnibus quidem insidiatur, sed po-  
tissimum Ecclesiasticis, quibus proinde illa di-  
ligentius cauenda. Christus, ait Sanctus Augustinus in  
Psalm. 1. noluit terrenum regnum cum superbia Ioannis. 6. v.  
15. Quæ ideo cathedra pestilentia rectè intelligitur: quia non  
fere quisquam est, qui careat amore dominandi, & huma-  
nam non appetat gloriam. Pestilentia est enim morbus  
late peruulgatus & omnes aut penè omnes inuoluens.

Cc 4

Sic



Si ferè omnes titillat ambitio, quanto magis Ecclesiasticos, quibus ex altiori dignitatis gradu ambitionis porrigitur ansa? Proinde Eugenio suo S. Pontifici scripsit Sanctus Bernardus libr. 2. de confid. Nullam tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi.

*Alio um vi-  
torum do-  
mitores ab  
ambitione  
expugnan-  
tur.*

*Ambitio am-  
bi. ioforum  
e. uisus.*

§. Et Sanctus Ambrosius libr. 4. in Lucam cap. 4. Hoc ipso perniciosior ambitio, quod blanda quaedam est conciliatricula dignitatum, & sepè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere facit ambitio criminosos. O ambitio exclamat Sanctus Bernardus libro 3. de conf. cap. 1. ambientium crux, quomodo omnes torquens omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotium eius. Annon limina Apostolorum, plus iam ambitio, quam deuotio terit? Quomodo Ecclesiam Catholicam penè totam hoc virus infecit?

§. Hoc vitium primum Iudæorum Pontificem Aaronem contaminauit Numer. 12. 1. turpificauit & Leuitas Coroitae & ipforum gregales, quos & viuos dehiscens Dei impetio terra dimisit ad inferos. Num. 16 Alligauit & sacrilegio Iasonem Menelaum Lysimacyum viros scleratissimos, qui pecunia summum Sacerdotium à Syriæ Regibus compararunt 2. Mach. 4. Aristobulus & Hyrcanus filii Alexandri Iudæorum Regis de regno & Sacerdotio summo contententes Pompeium magnum ad Solymorum urbem & templi expugnationem & populi Iudaici seruitutem, cum antea liberi fuissent, aduocarunt, vt haberet Iosephus libr. 14. Antiquit. Iud. Tempore Saluatoris Annas & Caiphas, vt alternis annis summum obirent Sacerdotium à Romanis pecunia impetrarunt.

§. Inuasit & Apostolicum Ordinem, in quo sepius nata de principatu altercatio. Matth. 20. verfic. 23. Lucae



25. Lucr. 22. versicul. 25. Quem perniciosum animi morbum, vt sanaret Dominus: Scitis, inquit Matth. 20. versic. 25. quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos: sed quicumq; vult inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Et Matth. 18. versic. 1. percunctantibus: Quis, putas maior est in regno caelorum? Grauiter respondit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini, sicut paruuli non intrabitis in regnum caelorum. Arius indignans Alexandrum virum optimum sibi in Alexandrino Episcopatu praelatum, vt eius doctrinam oppugnaret haesiarcha factus est. Tripart. lib. 1. Nouatianus Romanus Presbyter summum Pontificatum ambiens nec consequens, schisma primum, deinde & haesin excitauit Eusebius lib. 6. histor. Ecclesiast. Sanctus Cyprianus de jejuniis & tentationibus. Etiam in sinu Sacerdotum, inquit, ambitio dormit.

§. De sui temporis Sacerdotum ambitione, impudentia & cupiditate conqueritur Sanctus Gregorius Nazianzenus Apologetico 1. Aliorum me puduit, qui cum plebeis hominibus nihilo meliores sint, atque vtinam non etiam multo peiores, illorum, vt dici solet, manibus, profanusque animis in sanctissima mysteria sese inferunt, ac priusquam digni sint, qui ad sacra propius accedant, sacrarium ipsum affectant, & circum sacrosanctam mensam premuntur ac protruduntur, tanquam non virtutis exemplum, sed vitae adiumentum atque subsidium hunc ordinem esse iudicantes ac non munus reddenda rationi obnoxium, sed imperium liberum ac reserendarum rationum metu solutum. Qui etiam eos, quibus praesunt, numero, iam propemodum superant, pietate miseri: dignitatis splendore infelices. Ac proinde pestifera progressu temporis inualescente, iam ne habituri

Hof. 4. v. 9.

Erit sicut populus, sic sacerdos. Imo neq; sicut populus, sic sacerdos. Sanctus Bern.

Altum non lotu pedibus conscendere lectum, id est confidit, imperio,

Ergo, nefas, que iugans, miserebus sabbat, ira profanis.



quidem mihi videntur, quibus prasint omnibus videlicet pro eo atque ipsis expetendum erat, vt, quod Scriptura pollicebatur, à Deo edocerentur, munus Doctorum arripientibus, omnibusq; vaticinantibus, adeo vt Saul quoque inter Prophetas existat, 1. Regum. 10. versicul. 11. vt veteris historie prouerio vtat.

*Inepti Sacerdotes Ecclesia probra.*

Neque enim cuiusquam rei tanta vbertas aut nunc est, aut fuit vnquam, cum alia alias viguerint, ac tandem finem acceperint, quam nunc apud Christianos frequentia sunt huiusmodi probra atq; peccata. Quorum etsi impetum comprimere maius est quam pro virium nostrarum facultate, ac execrari tamen pudoreque suffundi, pietatis pars non est minima. Sanctus Ioannes Chrysostomus libr. 3. de Sacerdotio. Sacerdotis, ait, animus honoris illius desiderio vndique vacare oportet. Nam si ad eum principatum adipiscendum vehementi animi affectu rapietur, eo adepto impotentior, sanè ambitionis sua flammam incendet, ac vt tandem captus, vt sibi adeptum honorem stabiliat, nulli non peccato seruiet, seu aduldandum, seu seruile quid atq; indignum sustinendum, seu res magno pecunia sumptu tentanda. Nam q; nonnulli cadibus Ecclesias compleuerint contaminarintq;: tunc ius honoris gratia depugnantes, ciuitates aliquot funditus euerterint, dicere hic pratermitta, ne à quibusdam videar in mediũ afferre ea, qua fide maiora sunt.

*Ambitio sacerdotũ nullum refugium scelus, nec quidem honorum occisionem.*

¶ Idem aureæ eloquentiæ doctriæ & virtutis Sanctus Ioannes Chrysostomus in Apostolicos Actus homilia 3. Non arbitror, ait, inter sacerdotes multos esse, qui salui fiant, multo autem plures esse, qui pereant: In causa est: quoniam res excelsum requirit animum. Nunc autem non aliter quam profanos magistratus, & hanc affectamus dignitatem, nimirum vt glorificemur, & honoremur apud homines, & perdimur apud DEVM. Cogita quid acciderit Simoni: quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecunia loco adularis, subornas, multa q; machinaris? Pecunia tua fit in perditionem, ad illud dictum est. Actor. 8. & his dicitur: Ambitio tua tecum fit in perditionem, quoniam i perasti ambitu parari donum Dei. Quod vero hic affirmat & verè affirmat

*Propter ambitionem plures sacerdotes pereunt.*

¶ Idem aureæ eloquentiæ doctriæ & virtutis Sanctus Ioannes Chrysostomus in Apostolicos Actus homilia 3. Non arbitror, ait, inter sacerdotes multos esse, qui salui fiant, multo autem plures esse, qui pereant: In causa est: quoniam res excelsum requirit animum. Nunc autem non aliter quam profanos magistratus, & hanc affectamus dignitatem, nimirum vt glorificemur, & honoremur apud homines, & perdimur apud DEVM. Cogita quid acciderit Simoni: quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecunia loco adularis, subornas, multa q; machinaris? Pecunia tua fit in perditionem, ad illud dictum est. Actor. 8. & his dicitur: Ambitio tua tecum fit in perditionem, quoniam i perasti ambitu parari donum Dei. Quod vero hic affirmat & verè affirmat



affirmat Sanctus Chryostom. ambitiosos Sacerdotes & Clericos in exitium præcipitare exemplis & veris & formidabilibus stabiliamus.

§. Etsi autem clementissimus Deus *disimulet peccata hominum propter penitentiam* Sapient. 11. versic. 24. sæpissimè tamen hanc Clericorum ambitionem castigavit, & quidem quod dira vexatione Clericum necauerit Diabolus narrat B. Gregorius libro 2. Dialog. capit. 16. *Quidam, ait, Aquinensis Ecclesia Clericus Demonio vexabatur, qui à venerabili viro Constantino eiusdem Ecclesia antistite per multa fuerat martyrum loca transmissus, vt sanari potuisset.*

§. *Sed Sancti Dei Martyres noluerunt ei Sanctitatis donum tribuere, vt quanta esset in Benedicto gratia demonstrarent.* Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum, qui Iesu Christo Domino preces fundens antiquum hostem de obsessio homine protinus expulit. Cui sanato præcepit dicens: *Vade & posthac carnem non comedas, ad sacrum ordinem nunquam accedere presumas, quacunque autem die ad sacrum ordinem accedere presumpseris, statim iuri Diaboli iterum mancipaberis.*

§. Discessit igitur Clericus sanus, & sicut terrere solet animum pœna recens, ea quæ vir Dei præceperat interim custodiuit. Cum v. post annos multos omnes priores illius de hac luce migrassent, & minores suos sibi met supponi in sacris Ordinibus cerneret, verba viri Dei, quasi ex longo tempore oblitus postposuit, atque ad sacrum ordinem accessit, quem mox is qui reliquerat Diabolus tenuit, eumq; vexare, quousq; animum eius excuteret, non cessauit.

§. Terribile & illud, quod idem Diuus Gregor. commemorat lib. 3. Dialog. c. 5. Sabini, inquit, Canusine vrbs Episcopi, venerabilis viri, cum ad exemplum videntium in longum senium vita traheretur eius archidiaconus ambitione adipiscendi Episcopatus accensus, eum extinguere veneno molitus est. Qui cum vinisuforis animum corrupisset, vt

*Cur non qui liber à quo-uis Sancto curatur.*

*Oblivionem pœna sequitur præcepti oblitio.*

*Aliud formidabile exemplum. Ambitio mota impatiens in suum ac alienum ius exitium.*

mix-



Quid non  
mortalia pe-  
tora cogis,  
Aui sacra  
fames.

Si venenum  
biberint, nõ  
eis nocebit  
Marci 16.

mixtum vino, veneni ei poculum præberet refectiois hora, cum  
iam vir Dei ad edendum discumberet, ei pramiis corrup-  
tus puer, quod ab archidiacono eius acceperat, veneni pocu-  
lum obtulit. Cui statim venerabilis Episcopus dixit: Bibe tu  
hoc, quod mihi bibendum præbes. Tremefactus puer depre-  
hensum se esse sentiens maluit moriturus bibere, quam panas  
pro illa tanti homicidii culpa tolerare. Cumq; sibi ad os cali-  
cem duceret, vir Domini compefcuit, dicens: Non bibas, da mi-  
hi, ego bibo, sed vade dic ei, qui tibi illud dedit: Ego quidẽ ven-  
enum bibo, sed tu Episcopus non eris. Facto igitur signo crucis  
venenum Episcopus bibit securus. Eademque hora in loco  
alio in quo erat Archidiaconus eius, defunctus est, ac si per os  
Episcopi ad Archidiaconi viscera illa venena transissent. Cui  
tamen ad inferendam mortem venenum quidem corporale de-  
fuit, sed hunc in conspectu aeterni iudicis venenum sua malitia  
occidit. Psalm. 7. versic. 16. Lacum aperuit, & effodit eum,  
& incidit in foueam quam fecit. Psalm. 9. versic. 16. In  
laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.  
Prouerb. 11. versic. 8. Iustus de angustia liberatus est, &  
tradetur impius pro eo. Cui rei exemplo sunt Saul & Da-  
uid, Aman & Mardochæus, Daniel & accusatores e-  
jus. Vnde & Aristoteles lib. 3. Rhetoricorum ex De-  
mocrilo Chiro hunc citat versiculum: Ipse sibi mala cudit  
quisq; aliis mala cudens. Suo improbus sæpè jugulatur  
gladio & proprio laqueo strangulatur. Nunc & alia  
prosequamur.

§. S. Gregorius Turonicus lib. 2. histor. Franc. cap. 23. de  
duobus Ambitiosis & D. Sidonio Auernensi Episco-  
po suo rebellibus Sacerdotibus ista habet: Surrexere  
contra eum duo Presbyteri, & ablata ei omni potestate à rebus  
Ecclesie, arctum ei victum & tenuem relinquentes ad sum-  
mam eum contumeliam rede gere. Sed non longi temporis

Subitò geni-  
et ira illius.  
Ecc. 5. v. 9.

spacio, multam eius iniuriam diuina voluit sustinere cle-  
mentia: nam vnus ex his nequissimis & indignis  
Presbyteris, cum ante noct. m. minatus fuisset eum de Eccle-  
sia



sia velle extrahere, signum ad matutinas audiens fuisse commo-  
 tum, feruens felle contra sanctum Dei surrexit, hoc iniquo cor-  
 de explere cogitans, quod die precedente tractauerat. Ingressus  
 autem in secessum suum, dum ventrem purgare nititur, spiri-  
 tum exhalauit. Dehinc beatus Sacerdos, vno adhuc manente <sup>Feeda mori</sup>  
 nihilominus mimico, suæ restituitur potestati. Factum est au- <sup>ambitionis</sup>  
 tem post hac, vt accedente febre egrotare cepisset, qui rogat suos, <sup>& inuidia</sup>  
 vt eum in Ecclesiam ferrent. Quo migrante Presbyter ille ne- <sup>stipendium.</sup>  
 quam, alter ex duobus qui remanserat, protinus omnem sacul- <sup>Ante victo-</sup>  
 tatem Ecclesie, tãquam si iam Episcopus esset, inhians cupidita- <sup>riam trium-</sup>  
 te, preoccupat, dicens: Tandem respexit in me Deus, cognoscens <sup>phus.</sup>  
 in me iustiorẽ Sidonio, largitusq; est mihi hanc potestatem. <sup>Thesaurizat</sup>  
 Cumq; per totam urbem superbus ferritur adueniente die Do- <sup>& nescit cui</sup>  
 minico, qui imminebat post transitum sancti viri preparato e- <sup>cong. eget.</sup>  
 pulo, iussit cunctos ciues in domo Ecclesie inuitari: despectusq; <sup>Speciale eu-</sup>  
 seniorib; recubuit primus in toro. Cui oblato pincerna poculo ait: <sup>tiusq; homi-</sup>  
 Domine mi, vidi somnium, quod si permittis, edicam. Videbam <sup>nis iudicium.</sup>  
 hac nocte Dominica, & ecce erat domus magna, & in domo e-  
 rat thronus positus, in quo quasi iudex residebat, cunctis pote-  
 state prestantior: cui adsistebant Sacerdotum multi in albis ve-  
 stibus, sed & promiscue populorum turba valde innumerabi-  
 les. Verum cum hac trepidus contemplarer, conspicio eminus  
 inter eos beatum adflare Sidonium, & cum Presbytero illo tibi  
 charissimo, qui ante hos paucos annos de hoc mundo migravit,  
 ad tene litigantem: quo deuicto, iubet Rex, vt in imis carceris  
 angustus retrudatur: ablatog; isto, contra te iterum suggerit,  
 dicens: Te in eo scelere propter quod ille prior damnatus fuerat,  
 fuisse participem. Verum vbi iudex, quem ad te transmitteret, <sup>Citatio ad</sup>  
 sollicite cepit inquirere, ego me inter reliquos occultare cepi, & à <sup>Christum</sup>  
 tergo statui, tractans apud memetipsum, ne forte ego qui notus <sup>iudicem.</sup>  
 sum homini, mittar. Dum hac mecum tacitus voluerem, amo-  
 tis omnibus remansi solus in publico: vocatusq; à iudice, propius  
 accedo. Cuius virtutem atq; splendorem contuens, cepi hebes  
 effectus, titubare præ metu. Et ille, ne timeas puer, inquit: sed  
 vade dic Presbytero illi: Veni ad respondendam causam, quia  
 Sido-



Extrema  
gaudii lu-  
bris occupat

Sidonius te accersiri deprecatus est. Tu vero ne moram facias ad eundem, quia sub testificatione mihi præcepit Rex ille tibi hæc loqui, dicens, Si tacueris, morte pessima morieris. Hæc eo loquente, exterritus Presbyter, elapso de manu calice, reddidit spiritum. Ac de recubitu ablatum, mortuus sepultura mandatus est, possessurus infernum cum satellite suo. Tale iudicium super contumaces Clericos dominus in hunc pertulit mundum, ut unus Arrii sortiretur mortem, alius tanquam Simon Magus Apostoli sancti oratione ab excelsa arce superbia præceptis allideretur. Qui non ambiguntur pariter possidere tartarum, qui simul egerunt nequiter contra sanctum Episcopum suum. Et utique magis contra DEVM superbiæ & ambitionis hostem & vindicem deliquerunt. Et verò tanto ineptiores quanto ambitiosi magis, & tanto minus illud tam grande malum emendatur: quia hircus hirci non sentit foetorem. Qua de re Sanctos audiamus Patres. Beatus Gregorius Magnus 1. part. Pastor. capitul. 1. Sunt nonnulli, ait, qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris, &c. qui susceptum cura pastoralis officium ministrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad huius humilitatis magisterium ex sola elatione perueniunt. Contra quos Dominus per Prophetam queritur dicens, Hoseæ 8. vers. 4. Ipsi regnauerunt & non ex me, principes extiterunt, & ego ignoravi. Et homilia 17. in Euangel. Terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et eo ipso quo cateris prelati sumus, ad agenda qualibet maiorem licentiam habemus: susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. Et 1. 4. epist. 38. Sacerdotes ceruici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, ut Ducatum præberent humilitatis. Sanctus Bernardus libro 1. de confid. ad Eug. cap. 10. Plena est, inquit, ambitiosis Ecclesia, non est tamen quod exhorreat in studiis & molitionibus ambitionis, non plus quam spelunca latronum in spoliis viatorum. Cur autem vel pudor vel metus eos non deterrereat, ibidem eius rei causam Sanctus Bernardus exponit.

Abundat,  
pro dolor,  
ambitiosis  
Ecclesia.



nit. Vitiōsus, inquit, vitiōsorum conscientias non refugit: & ubi omnes sordent, vnius fœtor minimè non sentitur. Quis enim vnquam verbi causa auarus auarum, immundum immundus luxuriosus, luxuriosum erubuit.

*Furem fur cognoscit, & lupus lupum*

§. Sapientissimè S. Augustinus lib. 5. de ciuit. Dei c. 17. Quod si, ait, peruersitas seculi admittèret, vt honoratiores essent quig, meliores: nec si pro magno haberi debuit honor humanus: quia nullius est ponderis sumus. Et hic fumus ita ambitiosorum oculos excæcat, vt non videant sibi peruigilandum & rationem reddendam pro subditorum animabus. Hebr. 13. versicul. 17. & quod vnius animæ neglectio totam ipsorum subuertat salutem. Etenim si vnius animæ salus tanti est, vt ob hanc filius Dei fieret homo tantæq, pateretur, perditio, cogita, quantam conciliabit penã? Quod si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quanto magis ille? ait S. Chrysosto. homil. 3. in Actus Apostolicos. Et iudicium durissimum in his qui presunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur Sap. 6. v. 6. 7. Noli, ait S. Basilius serm. de abdicatione rerum, eo properare, vt fratribus presis; ne alienorum peccatorum onere cervices aggrauas tuas.

*Honor hominis vana nescens fumus.*

C A P. XXIX.

AVARITIA CLERICO DE-  
restanda.

§. Avaritiam peruersam habendi voluntatem siue im moderatum res vtiles puta pecunias vel alia bona, quæ pecunia æstimantur possidendi amorem tanquam funestam pestem execrentur & fugiant Clerici, hoc enim injungit Apostolus 1. Timoth. 3. vers. 3. Oportet eum esse non cupidum: siue alienus ab argenti cupiditate esse debet, & versicul. 8. non turpe lucrum sectantes, quod fit, ait ibi Ambrosius, quando sub

*Quid avaritia,*

*piã*